NOVISSIMA,

LEGATI SVECICI,

COMITIS BENEDICTI ab OXENSTIERNA,

VIENNÆ AUSTRIÆ,

IN

AULA CÆSAREA,

DEGENTIS

ACTA,

à

mense Novembri anni præterlapsi

1674.

ad

Januarium anni cum Deo incepti

1675.

COPIA Memorialis, Sac. Maj. Cæſ. à D. Legato Svecico Comite Oxenſtierna exhibiti.

Sacra Cæſarea Regiaq; Majeſtas.

CUm eo ſemper animo in Imperium Romano-Germanicum fuerit Sacra Regia Majeſtas Sveciæ, Dominus meus Clementiſſimus, ut proſpera atq; adverſa Ejusdem quàm maximè ad ſe pertinere exiſtimaverit, ſummamq; ex tranquillis ac florentibus Germaniæ rebus voluptatem, ut, ex afflictis & turbidis, dolorem ceperit: exprimi nequit, quo affectu, præſentem Ejus faciem tam mutatam, tam lugubrem, & ærumnoſam, intueatur. Auget Sollicitudinem S. R. M. Suæ, quod non ita pridem ſanato Corpori recidiva mala graviora magisq; fatalia plerumq; ingruere novit: Et cùm ſibi ob Oculos ponit, quanto Sumptuum, Curarum, &, quod magis eſt, Chriſtiani Cruoris impendio, reducta antehac ſteterit Pax, ad recrudeſcentes, & quodam veluti diluvio, per omnia ſeſe ingerentes belli Calamitates tota exhorreſcit, vehementerq; conqueritur, eam fuiſſe fatorum pervicaciam, quæ adeò, nullo hactenus molimine, nullis, quantumvis ſummis ac tempeſtivis à ſe, adhibitis remediis ſuperari potuerit. Ubi enim primùm ſubortæ Fœderati Belgii Ordinibus cùm Rege Chriſtianiſſimo Inimicitiæ, in apertum Bellum erupêre, Officium Chriſtiani Principis non aliâ re magis cenſeri rata, S. R. M. Sua, quam ut reconciliandæ publicæ, præcipuè Amicorum ſuorum, Concordiæ, & abſtrahendis, à fœdis, mutuæ internecionis, Conatibus, mortalium animis curas intendat; ſtudia omnia eò convertit, ut exurgens incendium æquâ, proſperâ, ac properâ Pace, extingueretur: Verita ſcilicet, ne, ſi lentiora remedia adhiberentur, latius per contermina ſerpens (quod poſteà tamen jam factum, defleri magis quàm defendi poteſt) plures, ac tantum non omnes, Chriſtiani Nominis Socios, feralibus flammis implicaret. Hoc igitur fine emiſſi, qui ferventi ferro gelidam injicerent, reducendæq; Paci Viam aperirent,

Mediationem S. Maj. Reg. Partibus belligerantibus offerentes, id quod tam ſedulis præſtitum eſt officiis, ut neq; Novitas belli, nec ſumma fortunæ obſequia & Victoriæ blandimenta, nec acris vindictæ, viribus paribus ſuccincta cupiditas, contravaluerint, quo minùs tam Galli quam Batavi pacificas S. Reg. Maj. Suæ partes lubentes amplecterentur. Poſteà verò quàm in locum tractatûs utrimq; Conſenſum eſt, continuo plenis mandatis inſtructos amandavit Legatos Suos Extraordinarios: qui poſteà Pacis negotio eâ æquitate, integritate ac dexteritate operam navarunt, ut laudabilis operæ ac ſtudii indefeſſi, in promovendo Pacis juſtæ & Univerſalis Tractatu tam amplum tamq; luculentum ab ipsâ S. Cæſ. Maj. Veſtra, Ipſiusq; & aliorum Principum qui unà aderant, Miniſtris, Teſtimonium, cum tam prolixis gratiis hactenus meruerint. Quibus, ſicut acceſsêre pia undiq; Vota, quo bonam illorum Intentionem optimi effectus ſecundârint, promiſſaq; ſeduli anniſus, ne illorum labor & Induſtria debito fructu deſtitueretur, ità vanæ prorſus fuêre atq; glorioſa poſtmodum Pœnitentiâ damnatæ quorundam ſuſpiciones, quibus fidem ac Candorem D. D. Legatorum vellicandi, malignus rumor anſam præbuerat. Optimam adeò ſpem præbere videbatur Pacis Negotium ſuſpenſaq; lætitia optatum & curis ſuis parem ejus Exitum Sac. Reg. Maj. Sua indies expectabat: cum ecce, inſperato plane Caſu, labores, ſumptus, & ſpes evanuêre: Tractatus diſſipati, & loco Pacis Univerſalis tantum non Univerſale Bellum apparuit: Ut veluti Mari cuidam calamitatum atrociſſimarum univerſa, niſi fidâ ac promptâ Pacis operâ impendenti tempeſtati erepta fuerit, immergenda jam veniat Germania. Tametſi verò adeò infauſtâ ſedulitate ad ſopiendum bellum nihil hactenus reliqui fecerit S. Reg. Maj. Sua, nec mirum foret, ſi ab opere tam ingrato, vel dudum reſiliiſſet, vel nunc demum Curas ſuas revocaret, cum tamen eâ ſpe ducatur, DEUM Conatus ſuos tam pios & indefeſſos ad ultimum optato Eventu beaturum: Viſum eſt Sac. Reg. Maj. veſtigiis ſuis porrò inhærere, ulteriorìq; ac veluti ſupremo niſu animos belligerantium adhuc pertentare, Quapropter ſicut ad Regem Galliæ præproperâ morte extinctum Dominum Comitem Toth Regi Magnæ Britanniæ Dominum Baronem Sparre; ad ordines fœderati Belgii Dominum

Aulæ

Aulæ Cancellarium Ehrenſtein; ad Comitia Ratisbonenſia, Conſiliarium Status Bremenſis Dominum Marſchalck, ut in Pace reponendâ deſudarent. Eodem modo Sac. Reg. Maj. Sua, quia pergratum Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ accidiſſe ſæpius intellexit, pro bono Rei Chriſtianæ ad obtinendam Pacem ſecuram, & Conſtantem inter partes belligerantes impenſam hactenus à ſe operam: Spe & Voto plena, ad Sac. Cæſ. Maj. Veſtram me quoq; ablegavit, quâ fas eſt Inſtantiâ, quo oportet, ſubmiſſæ Venerationis Cultu, Eandem obteſtaturum, ut ad decora ac ſalutaria Pacis reſtaurandæ ſtudia, Curas & Conſilia ſecum omnia intendere, ejusdemq; faciendi fœderatis Suis Auctor eſſe velit.

Cumq; reddita hactenùs à Sac. Cæſ. Maj. Veſtrâ ad ſæpius, per Ordinarium, Sac. Reg. Maj. apud Illam, Miniſtrum, Dominum Cancellarium de Pufendorf, antea, hac eâdem in materiâ, ſedulò factas Inſtantias, Reſponſa, nec non Literis ad Sac. Reg. Maj. factæ teſtificationes, dubitare Eam non ſinant, quin eundem Scopum, quô Officia ſua collineant, Sac. Cæſ. Maj. Veſtra itidem ſectetur, veroq; affectu, in Pacem æquam, tutam, & Univerſalem feratur: id primum deſiderat R. M. Sua, quod primum res ipſa poſcit.

Ut nempe, vel Locus, qui antehac Tractatibus ſervivit, ſarcitis & compoſitis, quæ præcoci, quorundam ex Legatis, (intercedente licet omnibus modis S. R. M. Sua) diſceſſui anſam præbuêre, reſtituatur: vel alius nominetur ſufficiaturq;, ſingulis paciſcituris gratus & idoneus. Non abnuit Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex ac Dominus meus, Coloniam Tractatus revocari, Conſenſumq; in hoc, Eorum, quorum intereſt, quantum ad ſe ſpectat, ſollicitare recipit. Quod ſi tamen eveniret, ut unus vel alter, ob Cauſas ſonticas, in alium locum (qui Hamburgo commodior vix reperiatur) magis inclinaret; de æquanimitate S. C. M. Veſtræ hoc ſibi promittit S. Reg. Majeſtas, Eam, circa hoc, laudabili facilitate Viam fœderatis ſuis præituram, neq; paſſuram. Negotio tam ſalutari aliquid in morâ eſſe, quod ad ſummam Ejus tam parum momenti habeat.

Secundo loco optat S. Reg. Maj. Sua, ut à parte S. Cæſ. Maj. Veſtræ, ejusq; ope, à parte Fœderatorum ſuorum, ad Tractatus Pacis, eæ Conventionis Leges & poſtulata afferantur, quæ æquitati, præſenti temporum faciei, ſerioq; Pacis poſſibilis ſtudio reſpon-

deant. Id quod eò magis futurum confidit S. Reg. Majeſt. cum per Martis aleam ferè omnia jam obtinuerint, quæ hactenùs armis ſuis propoſuêre. Et, ſi quæ ſuperſunt, nullo Negotio per transactionem pacificam obtineri queant. Galli, jam, mutatâ Causâ, ſua tantùm propugnant, Imperio Pacem offerentes, & æquam Satisfactionem Injuriâ Læſis. Ab Hiſpaniarum Rege Fœderi cum Statibus Uniti Belgii icto affatim ſatisfactum: & quod ex Tractatu Aquisgranenſi adhuc componendum reſtat, unde certiùs, unde melius, quàm ex Novâ Pacificatione peti poteſt; Belgæ fœderati jam in vado ſunt, inſigni Numinis benignitate tantam tempeſtatem, tantum non ſine jacturâ eluctati, Pacem æquam & ſuis Commerciis amicam haud dubiè non neglecturi: Lotharingiæ Duci, & promiſſa eſt Ditionum recuperatio, & diu expetitos ſalvos Conductus ad Sollicitationem S. Reg. Maj. ſedulam, tandem ohtenturam ſperari poteſt: Præſertim, ſi deſideria viciſſim Galliæ, circa liberationem Principis Fürſtenbergii, locum invenerint. Adeò ſingulorum rationes Paci patere videntur: niſi ſecreti hactenus fines aliqui armorum, quod tamen non ſperat Reg. Maj Sua tranquillitati publicæ adhuc reclament.

Tertio Ordine contendit Reg. Maj. Sua, ut Salutari ac pio Pacis Negotio, per Generale Armiſtitium via aperiatur ac lævigetur; belloq; afflict[illegible]in perculſæ ac funeſtæ ſortis ſolatia illicò ſic Copia ſit, intereà, dum ſecuræ ac perfectæ Paci excudendæ opera inſumitur, Commoda ejus præcipere. Sat jam Chriſtiani Sanguinis atrocia bibêre arma: Nec dubium eſt, quod, ſicut tantò difficiliùs tractatus expedientur, ſi jugi Continuatione ſerpens bellum in dies latius vel novorum Eventuum ſpe, vel recentium cladium acerbitate pacificos motus interpellaverit, atq; oppreſſerit; Ita omnia eò magis in proclivi erunt; ſi prius in certum Statum res undiq; quieverint, Cui deinde Pacis Leges aptari & ſuperſtrui poſſint. Sicq;, ab infeſtis Conatibus animi bello hactenus efferati paulatim deſveſcentes, in Pacis amorem & ſtudia miteſcant, tractabilioresq; invicem reddantur.

Magnâ hic ſpe erigitur S. R. Maj. Sua, Vota tam æqua apud S. C. Maj. Veſtr. vana non fore, cùm nuper Rex Chriſtianiſſimus fidem dederit, quam in dubium vocare multa prohibere videntur, & ipſa

Sac.

Sac. Reg. Maj. Sua præſtandam recipit, ubi primum Induciæ Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ placuerint; ſe easdem quoq; amplexurum, nec ſegnius Imperii Ditiones ſuo milite levaturum, quam Sac. Cæſ. M. Veſtra ſuas Copias itidem revocaverit. Æqua non minùs videtur Conditio, quàm ſalutaris ac neceſſaria: ut Jure credi poſſit, Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ Principi tam pacifico, tam Magnanimo & Indulgenti, non diſplicituram: Quo prius, quo faciliùs diruptum Coloniæ Pacis Negotium reſarciri & redintegrari poſſit. Non poteſt S. Reg. Majeſt. Caſus iſte tam publicè noxius absq; gravi dolore, in mentem recurrere; licet Examen aut Cenſuram ſibi non ſumat Cauſarum, quæ Sac. Cæſ. Maj. Veſtram impellere potuerint, ad decernenda ea, quæ tam ſiniſtrum effectum peperêre. Perſuaſiſſimum enim habet Sac. Cæſ. Maj. Veſtr. pro eo, quo, toto orbe celebratur Juſtitiæ fideiq; Zelo & Curâ, citra inevitabilem neceſſitatem, nihil mandaturam fuiſſe, quo tranquillitas publica obturbari vel ſuſpendi poſſet. Verum enim verò cum inficias iri nequeat, Principis Fürſtenbergii, Pecuniæq;, & Utenſilium Gallicorum detentione, Pacis Negotium, veluti in ſcopulos impactum atq; etiamnum eâdem remorâ penitus veluti fixum atq; immotum hærere: Excelſæ, cordatæ, accuratæq; Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ dijudicationi offerendum cenſuit Sac. Reg. Maj. Sua, num vindicatio eorum, quæ à Principe Fürſtenbergio admiſſa dicuntur (cujus hic alioqui Cauſam nullatenus tuetur) vel Prorogatio Cuſtodiæ ejus, tanti ſit Ponderis, aut Emolumenti, ut tot ſuſpiriis, tot lacrymis, tot Gemitibus expeditam à miſeris & oppreſſis Calamitatum bellicarum reſpirationem morari debeat.

Nihil ſanè Auſtriaco ſanguine, nihil S. Cæſ. Maj. Veſtr. dignius eſſe poterit, quam facili propriarum Injuriarum Condonatione Majorum ſuorum Gloriam, magnanimâ æmulatione, in ſe derivare, ſummasq; ac potiſſimas demerendi Orbis Chriſtiani rationes habere: ut cujus de tranquillitate Sac. Reg. Maj. Sua jam decernet, cum decernet de Principe Fürſtenbergio, præſertim cum eum longior Captivitas ſua, & hinc procedens belli Continuatio, tantummodo nocentiorem aliosq; ſimul infinitos, tam miſerè noxios, quàm innoxiè miſeros fecerit.

Pollicetur ſibi Rex ac Dom. meus Clementiſſimus eò benignius

acceptum

acceptum iri, eoq; majorem, in animo Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ vim ac locum habitura amica hæc Conſilia, deſideriaq; ſua, quod ab Animo ſincero & mutuæ benevolentiæ omnibus ſummis Officiis firmandæ cupidiſſimo proficiſcantur: Quodq; ipſi, pro inſigni æquanimitate ſuâ Cordi eſſe ſperet, quot mortalium hic Salus agatur; Quantâq;, fortunæ lubricitate omnia circumagantur, quæ præſentia (ſi ipſi nimium permiſſa fuerint) in deterius forte actura, nec quæ jam facili Negotio obtineri poſſint, ſi reſpuantur, alio tempore eſt conceſſura: Quam deniq; incerta armorum vis & effectus: Quæ alioqui non diutius juſta quam neceſſaria, arenam ſanè longè digniorem, glorioſioremq; adverſùs Communis hoſtis inſultus, qui labefactatis & attritis jam Chriſtiani Orbis Pomœriis, tàm atrox & infeſtus inſtat, quàm fœdè inter ſeſe dilaniandis propriis Chriſtianorum Viſceribus habitura forent.

Quam igitur poteſt, quam enixiſſimè ac Inſtantiſſimè contendit Reg. Maj. ſua, ut, pro reponendâ Pace publicâ, Curas ſecum omnes Sac. Cæſ. Maj. Veſtra ſociare non gravetur; Ipſiq;, non tantùm ad omnia communi ſaluti Conducibilia, ſed & peculiariter ad ea, quæ ſtudium in Sac. Cæſ. Maj. Veſtram ſuum ampliſſimum, & Animum demerendæ Amicitiæ Ejus ſinceræ ac perennis, vel quam maximè oſtendere poſſint, offert promptiſſimum expoſitiſſimumq;.

Ad quæ benignum, promptum, dilucidumq; Sac. Cæſ. Maj. Veſtræ Reſponſum præſtolaturus, Gratiæ ſuæ me quam demiſſiſſimè commendo

Sac. Cæſ Regiæq; Majeſtatis Veſtræ

Humillimus

ſervitor

BENEDICTUS OXENSTIERNA.

COPIA

COPIA Reſponſi à DD. Commiſſariis Cæſ. D. Legato Sveciæ ſuper ejus nuper porrectum Memoriale oretenus dati. Viennæ 10. Novemb. 1674.

DOmini Commiſſarii Cæſarei Excellentiſſimo Dn. Legato Extraordinario Sveciæ, Dn. Benedicto Oxenſtiern, (Tit.) in Conferentia prima 10. Novemb. 1674. cum illo in hoſpitio apud tres hamos ferreos nominato, habita, nomine Suæ Majeſt. Cæſ. ſuper dicti Domini Legati Memoriale nuper porrectum, Oretenus dicta in Synopſin redigendo, ſequentia propoſuerunt.

Primò, *ex memorata Dn. Legati in ſcriptis facta Expoſitione ſatis colligi: quòd Sereniſſimus Rex Sveciæ etiamnum magno niſu, & ſtudio, pacem in orbe Chriſtiano promovere ſatagat: hanc, ſi Univerſalis, ſi conſtans, ſi æqua ſit, vel maximè à Sac. Cæſ. Majeſtate deſiderari, prout hujus ad Regiam Majeſtatem Sveciæ 3. Octobr. præteriti anni datæ littera pluribus demonſtrant, & hanc Ejus piiſſimam, & laudatiſſimam mentem plurima alia luculenter evincunt, & palàm faciunt, quæ ſingula fuſiùs oretenus fuêre deducta.*

Deinde pergratam eſſe Suæ Majeſt. Cæſareæ Perſonam Excellentiſſimi Dn. Legati, nec Sereniſſimum Regem acceptiorem mittere potuiſſe: Satis liquere de Ejusdem inſigni in publicam tranquillitatem ſtudio, aliisq; egregiis dotibus, quæ tanti momenti negotium ad bonum finem deducere poſſunt.

Tertiò, *conſtare Univerſo Orbi, quòd altiſſimè memorata Cæſ. Maj. Suos Legatos jam ante multum temporis intervallum Coloniam miſerit, ut & hi Mediationem promoveant, quam tum Corona Sveciæ inter Galliam & Angliam, & harum Confœderatos ex una, & celſos & præpotentes Belgii ordines ex altera parte ſuſceperat. Unde & deſideratum ab Imperatore, Hiſpania, & dictis Ordinibus, ut etiam Lotharingiæ Duci, utpote horum Confœderato, Ejusdemq; Deputatis à Gallia ſalvi Conductus, ſeu ſecuritatis litteræ, ad exemplum, quod Confœderatis Galliæ & Angliæ indulgebatur, Coloniam veniendi, & Pacificationi tractandæ interveniendi concederentur: Sed rem, etiam Sveciæ Judicio, juſtiſſimam adeò obtineri non potuiſſe, ut Gallia, quamvis ſub aliis, licet minimè ſolidis prætextibus hunc conventum ruperit: Interim & bello jam inter Imperatorem, Hiſpaniam, & Galliam exorto, obtuliſſe ſummum*

Pontificem, pro paterni officii ſui ratione, Suam Mediationem inter modò dictos belligeratores: Idem egiſſe Regem Angliæ, pace inter hunc, & prætactos ordines ſubſecutâ, & modò etiam Regem Daniæ hunc in finem ſuum ſtudium, & operam offerre: Quibus ita ſtantibus Suam Majeſt. Cæſar. quid ſingulis reſpondendum ſit, acturam cum ſuis confœderatis: cùm ad hoc in iſto communi negotio, vi fœderum, & Conventionum aſtringatur: Interim cùm ipſa vel maximè publicam tranquillitatem cordi habeat, jam Suis Confœderatis ſingula, quæ circa hoc Mediationis negotium occurrerunt, ſignificâſſe, eoſq;, ut deſuper mentem ſuam explicent, per proprium Curſorem proximè monituram: quâ habitâ deinde ſpecialiùs, & diſtinctiùs Excellentiſſimo Dn. Legato reſponſum iri: quâ occaſione Domini Commiſſarii pluribus deduxerunt contraventiones à Sereniſſimo Rege Galliæ contra Pacificationes, Monaſterienſem, Clivenſem, atq; Aquisgranenſem, & in ſpecie contra tractatum inter Suas Cæſ. & Reg. Majeſtates 1. Novemb. 1671. initum, imò contra proprias, per Legatos Suos Ratisbonæ, alibiq; datas conteſtationes, plurimis modis, Viisq; hactenus factas, ſimul & urgentiſſimas cauſas, quæ Sac. Cæſ. Majeſtatem irritis omnibus amicabilibus conatibus ad arma arripienda, iisq; tuendum Sacrum Romanum Imperium, nec non retundendas tot illatas injurias, tandem coëgerunt; ita, ut de hujus ſecuti tàm atrocis Belli, tot funeſtarum cladium, tot triſtium funerum, calamitatumq; culpâ Sac. Majeſt. Cæſ. nullâ, ſed Rex Chriſtianiſſimus omni ratione teneatur, maximè, cùm Regia Majeſtas Sveciæ ipſamet dictas contraventiones Sereniſſimi Regis Galliæ in reſponſo Domino Vratislao Comiti de Sternberg 18. Decembris Anni proximè præteriti dato agnoverit, ac proinde æquum judicaverit, ut injuſtè oppreſſis, atq; afflictis de illatis damnis ac Injuriis ſatisfactio procuretur, ac reparatio adæquata. Cujus tam bonæ intentionis Seren. Regem etiamnum eſſe ſibi omninò perſuadere Sac. Cæſ. Majeſtatem, cùm hactenus nil aliud egerit, quàm quod vel Authoritas ſupremi Muneris Cæſarei, vel defenſio Sacri Romani Imperii ſibi à divinâ bonitate concrediti, vel concluſa Ratisbonæ intereà emanata exegerunt: credere etiam Sac. Majeſt. Cæſ. è re vel maximè fore, ut & Sereniſſimi Regis Galliæ intentio circa has tres, & Ipſi hactenus oblatas Conmediationes maturè ſciretur, & diem hocce Mediationis Negotium ſecuriùs concluderetur.

Quartò, Sac. Cæſ. Majeſtatem æquè ac Ipſum Regem Sveciæ omninò neceſſa-

necessarium judicare, ut Tractatus Pacis sine justa causa à Serenissimo Rege Galliæ notoriè rupti, vel Bremæ, vel Hamburgi, vel Lubeci, vel Aquisgrani, prout desuper inter interessatos conveniri poterit, denuò reassumantur.

Quintò. *Post secutam Loci determinationem, missuram suam Cæs. Majestatem subitò Legatos cum ejusmodi amplâ facultate, & Mandatis, ut exinde sua in publicam tranquillitatem propensio denuò ab omnibus abundè dignosci poterit.*

Sextò. *Quod ad armistitium & armorum cessationem attinet, videri Sac. Maj. Cæsareæ vix super illo, quid jam certi statui posse, nisi priùs omnium Belligerantium, Eorundemq; Confœderatorum Legati sufficienter superinde instructi, in Unum locum conveniant, ac desuper deliberent, & ut vel maximè ante omnia sciatur, an? & quibus conditionibus Serenissimus Rex Galliæ illud amplecti velit? Et cujus mentis atq; Intentionis sit, de revocandis armis ex Lotharingia, Burgundia, Trevirensi Archi-Episcopatu, cæterisq; ad Romanum Imperium spectantibus Locis, nec non aliis Circumstantiis, scitu multùm necessariis: nam ut Sua Majestas de Regis Galliæ animo dubitet, etiam exindè provenire; quòd Rex dictum Armistitium à Cæsareo Commissario in Diæta Ratisbonensi An. 1673. tanquam remedium ad obtinendam Pacem opportunum propositum, non tantùm non admiserit, sed & tractatus Pacis nullo, ut superiùs dictum, sufficienti prætextu ruperit: proinde Suam Cæs. Majestatem ab Excellentissimo Dn. Legato specialiorem declarationem expectare.*

Septimò, *Serenissimum Regem Sveciæ Suum erga Cæs. Majestatem affectum exinde ampliùs contestari, quòd causam Principis Wilhelmi de Fürstenberg tueri non desideret, Excellentissimum Dn. Legatum sine dubio de rationibus secutæ captivitatis pleniùs informatum, cùm Eæ passim vulgatæ, & aliàs tàm notoriæ sunt, ut Sac. Maj. Cæsareà sibi persuadeat, Serenissimum Regem Sveciæ Easdem omninò approbaturum, ac proinde & Excellentissimum Dn. Legatum ipsius Liberationi, utpote aliàs causæ speciali, adeoq; ad hoc Pacis Universalis negotium non spectanti, non ulteriùs inhæsurum, cum ex liberatione illius nulla syncera Pax, quam Corona Sveciæ tantopere suadet, sed ulterioris belli incendia forent expectanda, vix enim sperari posset, Principem, & ejus asseclas pro bello, quod tanto studio excitârunt, pacem seriò procuraturos.*

Demum circa restitutionem Pecuniæ Gallis Coloniæ detentæ, justis-

simas Ejus retinendæ habuisse causas Sac. Cæs. Majestatem, prouti Excellentissimo Dn. Legato fusius enarratæ fuerunt, nec mereri, ut obindè negotium Pacis publicæ toti Orbi tam necessarium retardetur. Viennæ 10. Novemb. 1674.

COPIA Replicæ à Dn. Svecico Legato extraordinario Comite de Oxenstiern, super nupero Responso per D. D. Commissarios Cæsareos ad ejusdem memoriale dato, exhibitæ, Viennæ 23. Novemb. 1674.

AD Ea, quæ Domino Legato Extraordinario Sueciæ, Excellentissimi Domini Commissarii Cæsarei

Dn. Reymundus de Montecuculi,
Dn. Joannes Paulus Hocher,
Dn. Leopoldus Wilhelmus de Königseck, } Tit.

in Conferentia prima 31. Octob. (10. Nov.) 1674. cum illo in Ædibus Ejus habitâ, nomine Suæ Majestatis Cæsareæ superdicti Dn. Legati Memoriali nuper porrecto, coram dicta, inq; Synopsin scripto redacta, proposuerunt, dicto Dn. Legato visum fuit, nomine Suæ Regiæ Majestatis sequentia, ore primùm fusiùs exposita, deinde calamo in summarium coacta, reponere, ad d. 13. (23.) Novemb. 1674.

1. Quemadmodum Suæ Regiæ Majestati non posse non esse gratissimum, Suam Cæsaream Majestatem pia, ardua, & constantia in Tranquillitatem publicam hactenus impensa à se Officia, benignè agnoscere, & interpretari; Eandemq; à Pace æquâ & honestâ non esse alienam; ita tam jucundas salutaresq; contestationes, in rem quam primùm deductum iri firma spe tenetur. Quod ipsum si ex Sac. Cæs. Maj. parte fiat, dubium non esse, quin itidem Fœderati in id facillimè sint consensuri, cum certum sit, Fœderati Belgii Ordines, postquam sibi ablata fermè omnia recuperaverunt, ut & Cœteros Sac. Cæs. Majestatis Fœderatos, promptæ ac lætæ pacis studiis potiùs, quam atroci bello persequendo, operam daturos.

2. Gratulari sibi Dn. Legatum, Personam, & studia sua, Cæs. Majest.

Majeſt. Suæ probari; daturum ſe operam, ut egregia iſtâ de ſe conceepta opinio, fide, integritate, & diligentiâ in hoc opere adhibendis, conſervetur: inq; faſtigio felicitatis ſuæ poſiturum, ſi quid, circa negotium tanti momenti ex voto efficere poſſit.

3. Suam Regiam Majeſtatem pro Duce Lotharingiæ reſtitutionem, admiſſionemq; ad Tractatus ut Mediatricem à partium ſtudio alieniſſimam, ſemper enixè ſollicitaviſſe, nunquam tamen judicâſſe ſe controverſiam iſtam tanti momenti, ut propterea, per integros quatuor menſes, curſus negotiorum ſiſ[illegible], & Pax impediri debuerit, præſertim cum res ipſa obtineri, & quæ in utilitatem Ducis ſeparatim Dn. Dn. Mediatoribus operam ſuam in id offerentibus concluſa eſſent, & Tractatui & Quarantiæ Generali deſuper ſanciendæ, includi potuerint; Gallia conſenſum ſuum in id jam tum præbente. Habuiſſe Galliam ſuas quoq; rationes, & credidiſſe, jure arceri poſſe dictum Ducem à Tractatu inchoato, & per quinq; menſes durante, antequam in numerum confœderatorum receptus fuerit. Itaq; deſiderare Dn. Legatum certam Suæ Cæſ. Majeſtatis declarationem, quatenus, ſi ob dictas rationes Gallia præter ſpem pergat expetitos ſalvos conductus abnuere, ſperari tamen poſſit, Sac. Cæſ. Maj. non detrectaturam, Legatos ſuos ad locum Tractatûs mittere, neq; paſſuram, hoc Paci concludendæ obſtaculo eſſe.

4. An plures & quinam Mediatores adſciſcendi ſint, ſuam Regiam Majeſtatem Sac. Maj. Cæſareæ arbitrio relinquere, modo tales adhibeantur, qui cum ipſa ſint compatibiles, eatenus gratum ipſi fore, ſi ſociâ idonearum Commediationum opera, curas ac labores ſuos levatum iri ſentiat, non tamen propterea reaſſumptionem tractatuum, usq; dum res iſta determinetur, differri debere, cum tamen nemo ipſorum tam iniquus credi poſſit, ut Sveciæ gloriam reparati Tractatus, & præliminarium laborem alterâ vice exanthlandum invidere velit. Sufficere ſibi ſalutaria ſua ſtudia belligerantibus non improbari, curſum belli quantocyus inhiberi, & ad pacem ſolenniter concludendam fundamenta ſubſterni poſſe.

5. Quæ occaſione iſtâ, ab Excellentiſſimis Dn. Dn. Commiſ-

fariis Cæſareis de Gallorum contraventionibus contra pacta publica fuſiùs expoſita ſunt, cum non niſi ad majorem animorum exacerbationem faciant, adq; Pacem veniri vix ſoleat injuriæ confeſſione data opera omittuntur, præſertim cum nec Galliæ deſint rationes, quibus actiones ſuas juſtificent S. Reg. Majeſtati in bonâ memoriâ eſſe, quæ circa armorum hactenus injurias Germaniæ illatas Dn. Comiti de Starenberg in Reſponſo 18. Decemb. anni proximè præteriti dato declaraverit: Neq; Eam quidquam magis optare, quam ut in loco Tractatûs, quo hoc ſpectare videtur, officiis ſuis æquam bello læſorum Imperii Statuum ſatisfactionem, quantocyus, ſicut ſedulò facere non intermittet, promovere ac procurare liceat.

6. Pergratum S. Majeſt. Regiæ fore, quod S. Cæſ. Majeſt. tanta facilitate uſa ſit, circa locum Tractatûs, nec credere poſſe, Dn. Legatum aliquot loca nominata eſſe, ubi Tractatus commodè poſſit reaſſumi, niſi ut Chriſtianiſſimo Regi detur optio unum ex iſtis eligendi: & propterea ſe jam in Galliam ſcripſiſſe.

7. Laude digniſſimam eſſe à Cæſareâ Majeſtate ſuâ promiſſam promptitudinem in mittendis Legatis ſuis, ſimul atq; locus determinatus fuerit, conſidereq; S. Reg. Majeſtatem, S. Cæſ. Majeſtatem ſecundum factas laudabiles conteſtationes tales miſſuram, quorum inclinatio ad Pacem & Concordiam probata ſit, eosq; ita inſtructuram, ut facilem proponant Pacem, & ejusmodi, quæ ex præſenti rerum poſitu elici ac ſperari poſſit.

8. Armiſtitium conſiderari à Suâ Reg. Majeſtate ut ſecuriſſimum ad præparandam pacem remedium: Nec credibile, Regem Galliæ ab eo alienum fore, cum primus fuerit, qui illud ad inſtantiam S. Reg. Majeſtatis admiſerit, Declaratio enim Cæſarea eo nomine menſe Aprili Anni 1673. demum facta, poſt exſpiratum à Galliâ præfixum terminum, & poſtquam Rex Chriſtianiſſimus immenſos ad expeditionem jam ſumptus fecerat, comparebat, nec ullæ aderant rationes tam validæ, quæ perſuadere poterant Regem ad amplectendum illud, quod ſine cauſa per quatuor menſes & amplius fuerat rejectum, acquieſcere S. Reg. Maj. opinione Sac. Cæſ. Maj. quod complanatio & ſpecialior Explicatio

condi-

conditionum armistitii, ad locum Tractatûs remitti debeat: Sibiq; interea sufficere S. Cæs. Majestatem voluntatem de admittendo eo, suam declarare, & in quæstionem, An, consentire.

9. Causas, quibus Princeps Wilhelmus Cæsaris iram in se concitaverit, speciales & privatas esse, nec propterea ad Universale Pacis Negotium pertinere, facile concedi, & exindè provenire, quod ne quidem in Earum scrutationem multò minus Judicium intrare unquam voluerit Sua Regia Majestas, sed cum dictus Princeps eo tempore, quando à Militibus Granianis detinebatur, & abducebatur, Persona publica & Legatus inconteſtabiliter fuerit, plenâ potestate per D. D. Mediatores ritè commutatâ, ut & publicis litteris salvi Conductus munitus; Quiq; munus suum in præsentiâ D. D. Legatorum sine ullâ ab ipsis facta contradictione exercuerit. & pro tali ab ipsis agnitus fuerit, abductioq; ab ipso Dn. Legato Extraordinario Cæsareo Dn. Fischero, ut injussu Cæsareo facta improbata, prætereà captivatio in loco publico, & publicâ Sac. Cæs. Majestatis securitate munito, ab iis ipsis, qui promissam illam securitatem publicam publicè tueri debeant, publicè commissa sit. Restitutio & reparatio infelicis istius eventi, utiq; facta est publica res, sine quâ reassumptio tractatuum vix sperari, & quæ à Christianissimo Rege non injuriâ urgeri potest: præsertim cum palam indicatum sit, nimio dicti Principis in Galliam affectu mala ista ipsi obtigisse. Neminem intereà S. Reg. Majest. jure succensere posse, quod hæc eadem pro illo sollicitet: Maximè cum D. D. Legati Mediatores fide suâ pro dicti Principis securitate interposita in causa fuerint, quod Coloniæ perstiterit, & tantæ Calamitati patuerit: Eoq; minus pro domesticâ aut privata re haberi posse illam, quæ ad fidem, & dignitatem diversorum Regum manifestè pertineat. Causam igitur sperandi habet S. Reg. Majestas, Sac. Cæs. Majestatem privatas sibi factas offensas bono publico, Paci, Christianitati, sibi deniq; ipsi condonaturam, Intercessionibusq; Regum & Principum id exhibituram, ut reassumptio Tractatuum hoc Obice ulterius non impediatur. Satis jam supplicii perpessum in detentione prædictum Principem, spemq; esse non dubiam, fore, ut imposterùm S. Cæs. Majestati eò magis placere

cere ſtudeat: Nec tam abjectè de ſe ſentire Sueciam, ut ſua in reducendam Pacem Studia inferiora judicet Conatibus Principis Wilhelmi, licet hic (quod tamen non creditur) contra propria Commoda agere præſumat.

10. Deniq; reſtitutio pecuniæ & Supellectilis Legatorum Gallicorum, vel propterea à Suâ Cæſarea Majeſtate ſperari debet, quod ab ipſamet res parvi momenti nominetur, & quæ nullatenus mereatur, ut Pacis Negotium propterea vel per momentum retardari debeat. Rationibus verò ab Excellentiſſimis Dn. Dn. Commiſſariis pro Juſtificatione detentionis allatis, facillimè alioqui reſponderi poſſe, modò veram Neutralitatis rationem & ſignificationem conſiderare velint, & quæ Privilegia debeat habere locus illa gaviſurus, præſertim cum totâ die accidat, ut Cambia fiant, in Commodum aliorum Subditorum, quorum Dominus in apertâ hoſtilitate verſatur cum Domino loci.

Quæ omnia & ſingula, uti Explicationi Memorialis & Elucidationi eorum, quæ ab Excellentiſſimis Dn. Dn. Commiſſariis Cæſareis propoſita fuêre, in primâ Conferentiâ inſerviunt, ita viam parabunt ad formalem reſponſionem, quæ ut propediem expediatur, quò, ubi opus eſt, Communicari queat, Dn. Legatus Extraordinarius ab Excellentiſſimis Dn. Dn. Commiſſariis inſtantiſſimè requirit, & propterea rogat.

Secunda Reſponſio Dominorum Commiſſariorum Cæſareorum ad Suedici Legati Dn. Comitis de Oxenſtiern Secundam Replicam de 23. Novemb. 1674.

RETulerunt Auguſtiſſimæ Majeſtati Cæſareæ Dn. Commiſſarii ea uberius, quæ Excellentiſſimus Dn. Legatus Extraordinarius Sveciæ, Dn. Benedictus Comes de Oxenſtiern, (Tit.) in conferentia ſecundâ 23. præteriti menſis Novembris cum illo in ædibus Excellentiſſimi Dn. Comitis Montecuculi (Tit.) habita, iis ſuper primum illorum Reſponſum

ſponſum in prima conferentia Excellentiæ ſuæ traditum, ore & dein ſcripto ulterius expoſuit, ad quæ Sua Majeſtas Cæſarea ei ſequentia ſignificari clementiſſimè demandavit.

Primò, ſibi firmam ac conſtantem ſemper eſſe, ac permanere ad Pacem Univerſalem, eamq; honeſtam ac ſecutam, quo citius eo melius obtinendam, mentem atq; intentionem, nec ab Illa, nec à confœderatis quidpiam hac in parte deſideratum iri.

Secundò, collocare ſuam Sacram Cæſaream Majeſtatem magnum hujus Univerſalis concordiæ protinus adipiſcendæ fundamentum in Perſonam Excellentiſſimi Dn. Legati, Cujus præclara geſta abundè demonſtrant, omnem eam, quam in gerendis negotiis ſuſcepit, operam feliciter impendiſſe & ſingula ad ſcopum, quo collimavit, prudenter deflexiſſe: Undè & altiſſimè memorata Cæſarea Majeſtas ea, quæ Idem pro Gallia allegavit, non eum in ſenſum accipit, quaſi notiſſimos Mediationis, quam obtulit, terminos transgredi, ſed potius quod animos eò magis ad promovendum Pacis Univerſalis Negotium proclives reddere voluerit, minimè ambigendò, eundem à Svecia modum etiam cum Gallia uſurpatum, nec ejusdem contra Pacem Weſtphalicam factas contraventiones approbatum iri.

Tertiò tam eſſe evidentem Juſtitiam in petendo ſalvo conductu pro Duce Lotharingiæ, ejusq; plenipotentiariis, ut & ipſamet Sereniſſima Corona Sveciæ hujus conceſſionem æquam ſemper judicaverit, & obinde apud Galliam tam indefeſſos Labores pro ejus obtentione impenderit, neq; enim ullus, qui ab effectibus ſiniſtris liber eſt, unquam

ficias ibit, ſumam ſubeſſe rationem, ut cum Sua Cæſarea Majeſtas non duntaxat Galliarum Regi, ſed & omnibus ejus confœderatis ad Illius Inſtantiam ſalvos conductus conceſſerit, Idem reciprocè faciat Gallia, nec illud recuſet, Cujus Ipſa contrarium petiit, maximè cùm dicti ducis ſummè interſit eum huic tractatui intervenire. Unde & Sereniſſimus Rex Sveciæ rem pro maturanda Pace multum proficuam aget, ſi officiorum ſuorum efficaciâ memoratum ſalvum conductum procuraverit; & cum Rex Galliæ, ſi Pacis tractatum non abnuit, hunc facile à ſe impetrari patietur, Idcircò ſpe tali nixa ſua Cæſarea Majeſtas interim ſuos Legatos, ſi de loco congreſſus convenerit, mittet felici auſpicio, quàm primum dictus ſalvus conductus in debita forma extraditus fuerit, Tractatum incepturos.

Quartò, Sacram Cæſaream Majeſtatem acceptare ſuo nomine mediationem à Regia Majeſtate Sveciæ oblatam, ita tamen, ut Illa declaret, ſe durante hoc bello nulli ex belligerantibus aſtituram, nec Mediationis officio, usq; dum Communis Pax fuerit ſtabilita, ſe abdicaturam, multo minus verò quid hoſtile contra ſuam Majeſtatem, Ejusq; confœderatos aut Univerſum Romanum Imperium moturam, cùm orbi Chriſtiano maximè interſit, ut non tantùm Tractatus Pacis de novo inſtituantur, vel antea inſtituti denuò reaſſumantur, ſed ut & omni poſſibili modo promoveantur, atq; ad deſideratam Coronidem deducantur, ac propterea omnia ulteriora, aut nova obſtacula removeantur; ut verò & Sereniſſima Corona Sveciæ omni fruatur ſecuritate, ſpondere parata eſt Sua Majeſtas Cæſarea, ſe Sereniſſimæ Coronæ Sveciæ omnem Illam, quam vi Inſtrumenti Pacis debet,

contra

contra omnes & quoscunq; aggressores & Invasores præstituram Guarentigiam, & iusuper effecturam, ut Idem Universum Romanum Imperium & singulariter omnes sui confœderati in se recipiant, quibus si Sereniſſima Corona Sveciæ suam obtulit, vel oblatura est, sæpè altiſſime memorata Cæsarea Majestas non dubitat, eam ab omnibus, sub dicta conditione, modo & Guarentigiæ promiſſione acceptatum iri.

Quintò, quod Commediatores, & quidem sumi Pontificis Beatitudinem attinet, repetere Suam Majestatem Cæsaream ea, quæ Dn. Legato sub 10. dicti mensis Novembr. exponi curavit, & posse sine dubio, prout Exempla, & quidem Pacis Monasterienſis & Osnabrugenſis docent, modum aliquem inveniri, ut plures Mediatores, licet in Religione diſformes, vel quoad aliqua differentes, pro communi bono interveniant, & ejusmodi officio fungantur, manſurâ nihilominus omni, quæ Sereniſſimo Regi Sveciæ debetur, gloriâ integrâ atq; intacta: & quamprimum secutura est supradicta declaratio à Sereniſſimo Rege Sveciæ curaturam Suam Majestatem Cæsaream, ut commediatores ex hac parte denominentur.

Sextò, contraventiones Galliæ contra Pacta publica commiſſas Suam Majestatem Cæsaream Excellentiſſimo Dn. Legato Extraordinario ideò fusius exposuisse, ut de iis & de Justitia Armorum suorum sit plenius informatus.

Septimò, pro loco Tractatuum aliquot loca non eo animo denominata, ut exinde Regi Galliarum detur optio, unum ex illis eligendi, sed ut eo faciliùs inter omnes interessatos super memorato loco conveniat, prout verbis diſer-

dis hoc prior declaratio exprimit: quippe vel maxime afficeret suam Majestatem Cæsaream, si tractatus Pacis remoram & disputationem ob loci controversiam pateretur.

Octavò, Missuram præterea Suam Majestatem simul atq; locus determinatus fuerit, Legatos in Pacem & Concordiam inclinatissimos, eosq; talibus Instructionibus munituram, ut magnum Suæ Majestatis Cæsareæ Ejus proximè habendæ desiderium toti orbi appareat.

Nonò, ratione Armistitii Suam Majestatem Cæsaream in nupero responso Excellentissimo Dn. Legato Extraordinario insinuari curasse, vix super illo quid plani certi statui posse, nisi prius omnium belligerantium, Eorundemq; confœderatorum Legati sufficienter superindè instructi in unum locum conveniant, ac desuper deliberent, cum confectio illius non solum à suâ, sed & aliorum confœderatorum voluntate dependeat, adeoq; in dictâ sua declaratione confœderatis suis nec præjudicasse aut præjudicare voluisse, sed de Conditionibus Menteq; Regis Christianissimi ideò mentionem feciisse, ut illis prius habitis, dein ulteriùs utramq; quæstionem an? & quomodo? connectendo cum confœderatis deliberare, determinatamq; desuper Resolutionem capere posset, de reliquo non dissentire Suam Cæsaream Majestatem, ut de ejusdem conditionibus ibi agatur, ubi de pace tractabitur,

Decimò. Supervacaneum denuò ducere suam Majestatem Cæsaream, rationes captivitatis Principis Wilhelmi de Fürstenberg fusiùs deducere, vel demonstrandi onus in se suscipere, quod neq; Legatus verus, neq; pro taliâ Cæsareis agnitus, neque exinde loci immunitas ac securitas

publica

publica Cæsareo Decreto promissa, violata fuerit, sed referre se ad adjunctam relationem Dn. Baronis de Lisola, in rem tunc præsentis, adeoq; optimè informati, & quamvis Regia Majestas Sveciæ, dum ejus liberationem obtinere satagit, suam benignitatem erga dictum Principem demonstret, sperare tamen Suam Cæsaream Majestatem rebus ita stantibus, laudatam Coronam Sveciæ primæ declarationi suæ, quòd nempe causam Illius tueri non desideret, firmiter inhæsuram: nec admissuram, ut ob unius justissimam detentionem tanti momenti Negotium cum periculo & dispendio tot centum Millium procrastinetur; monstraturam altissimè memoratam Cæsaream Majestatem suo tempore, quatenus opus fuerit, Dn. Mediatoribus evidentem hujus capturæ Justitiam simul & Clementiam, quæ dicto Principi, licet ejus delicta gravem & celerem pœnam exposcerent, hucusq; exhibita fuit.

Deniq; prætensam Pecuniæ Galliæ Coloniæ retentæ restitutionem non esse rem tanti ponderis, ut propterea memoratus Tractatus sit ullo modo suspendendus, sed hanc rem ad ipsos Tractatus Pacis remittendam, ibiq; desuper conveniendum esse.

COPIA Ulterioris Replicæ Sveciæ, exhibitæ 15. Decembr. 1674.

Diligenter expensis, quæ nomine Sacræ Cæsareæ Majestatis suæ, Dn. Legato Extraordinario Sveciæ, ab Excellentissimis Dominis Commissariis Cæsareis, in Conferentia Tertia significata fuere, nomine Sac. Reg. Majestatis Suæ dicto Dn. Legato Extraordinario, ea, quæ sequuntur, reponere visum fuit.

Primò, tàm Sacram Cæsaream Majestatem, quam Fœderatos suos, perennes manere laudes, ob intentionem tàm firmam ac constantem ad Pacem Universalem honestam ac securam obtinendam: eaq; propter iterum atq; iterum requirere Sacram Regiam Majestatem suam, ut in conformitate hujus declarationis, ea quæ tali paci provehendæ à se jam proposita sunt, media necessaria ac tempestiva, sine cunctatione amplecti velint, &, quæ in eorum potestate sunt, negotii obstacula removere ulteriùs non differant, ne tempus hisce curis opportunum sine fructu extrahatur.

Secundò, nihil gratius nec glorioſius Dn. Legato Extraordinario obvenire posse, quam quod Sacra Cæsarea Majestas Sua, circa Negotium tanti momenti, in sua Persona adeò confidat, nec quidquam se magis optare, quàm bonæ intentioni ac officiis suis aliquid licere, eaq; ita vera ac prompta cooperatio ne sublevatum iri, ut non desistet, iisdem porrò incumbere, quàm diu alia sibi imposita Negotia se hic permanere siverint. Interea fidem dare, quibus hactenùs Galliæ favisse videri possit, nihil se aliud spectavisse, neq; imposterum spectaturum præter pacis acceleratione.

Tertio: Perscripsisse Dn. Legatum Extraordinarium ad degentem in Aula Christianissima Svecicum Legatum Extraordinarium de Sollicitando pro Duce Lotharingiæ salvo Conductu, neq; de eo, sedulis dicti Dn. Legati Extraordinarii officiis obtinendo sese dubitare: præcipuè si Majestas Sua Cæsarea aliquam desideriorum Gallicorum rationem vicissim habere, & digna æmulatione omnium, quæ à sua parte sunt, pacis sufflaminum prius removendorum gloriam Galliæ præripere, adeoq; omnem ipsi recusandi memorati Salvi Conductus occasionem adimere voluerit: Interea merita deprædicatione non caritum, quod Sua Cæs. Majestes, vel antequam dictus Salvus Conductus obtineatur, Legatos suos in locum congressus mittere recipiat.

Quartò. Spondere Dn. Legatum Extraordinarium, gratissimum fore Regiæ Majestati Suæ habitum sibi à Cæsarea Majestate sua delata Mediatione honorem unà cum eâ quæ sibi alioqui vi Instrumenti Pacis competit, Guarantia, neq; ullam rem magis ex sen-

tentiâ

tentiâ Regiæ Majeſtati ſuæ evenire poſſe, quàm ab his partibus tantam in ſe fiduciam oſtendi: Verùm & propterea eà magis efflagitare Eandem, ut Inſimul prompta earum rerum admiſſione ac præſtatione quæ ad reaſſumptionem Tractatuum, ſine quibus Pax nulla ſperari poteſt, directè ſpectant ac requiruntur, locus ſibi quantocyus detur reapte oſtendendi, quo ſtudio res Suæ Cæſareæ Majeſtatis complectatur, & quanta integritate ac æquitate, quamq; ſine omni partium ſtudio parata ſit delatas memoratæ Mediationis partes obire: annexam autem prætactæ mediationi conditionem quod attinet, illicò ad Regiam Majeſtatem Suam perſcripſiſſe Dn. Legatum Extraordinarium, nec dubitare ſe, Regiam Majeſtatem brevi ſuper hac re ita ſeſe declaraturam, ut omnibus conſtet, nihil ſibi magis cordi eſſe, quàm ut cum Cæſarea Majeſtate Sua & Imperio ſincera ac fida ſibi maneat amicitia & correſpondentia.

Quintò. Quod Commediatores concernit, neq; intermiſiſſe Dn. Legatum, eo nomine ad Regiam Majeſtatem Dominum ſuum clementiſſimum referre: interea verò, quod etiam antehac expoſuit, hoc ſibi de ejus voluntate conſtare, Commediatores, cum quibus ipſi commercium eſſe poſſit. Eam ſua ſponte admiſſuram; neq; credere, Eam hoc adeò ad ſummam reſtabiliendæ tranquillitatis publicæ pertinere, ut propterea reaſſumptio Tractatuum ſuſpendi debeat, maximè cum ubi illi fient, de hoc quoq; Articulo commodius conveniri poſſit.

Sextò: Dominum Legatum Extraordinarium non credidiſſe nominari loca quædam Tractatui, niſi ut aliquis ex iis eligeretur; exiſtimareq; illum cùm Galliæ optio non concedatur, eandem ab hac parte fieri oportuiſſe, atq; adhuc ab Eadem aut Mediatoribus fieri oportere, cùm de loco non nominato conveniri nequeat. Ac proinde vera Sac. Cæſar. Majeſtatis in pacem intentione, dignum eſſe, ut unum vel alterum locum proponat, qui poſtmodum Galliæ Regi decenter commendari ac perſuaderi poſſit; quo priùs ſalutare pacis Negotium læta denuò auſpicia reſumere queat: omnem hic moram eo magis præter opinionem fore, cùm, vel confeſſione ipſius Cæſareæ Majeſtatis Suæ, loci controverſia Tractatus prolatare non debeat.

Septi-

Septimò: Quo in pacem propensiores inclinatioresq; Cæsarea Majestas Sua Legatos ad Tractatus pacis miserit, hoc citiùs de Negotio, quod sibi adeò curæ esse profitetur, optatum eam sibi successum polliceri posse, eoq; ampliori beneficio orbem Christianum demerituram.

Octavò: Nihil magis Regiæ Majestati suæ in Votis fuisse, quàm ut bono & æquo Armistitio à nunc immanis Christiani Sanguinis profusio sisti, animiq; in amicitiam paulatim redire potuissent. Cæterum cùm Conditiones adeò graves circa illud apparuerint, ut illarum pertractatio nimiam paci moram allatura fuerit, si congressum Legatorum præcedere debuisset, hæc in locum Tractatus eâ spe rejecta fuit, ut idem protinus nominaretur, moxq; ad abrumpenda belli mala ab omnibus interessatis illuc festinaretur. Interea verò dùm Tractatus coire possint, quàm maximè in rem forè, ut maturis deliberationibus inter Cæsaream Majestatem Suam Fœderatosq; suos omnia, quantum fieri poterit, in antecessum enodentur ac levigentur, quo deinde facilius tàm hæc quæstio præjudicialis, quàm omnia alia componi queant.

Nonò: Suam Regiam Majestatem nihil mutare ex prima declaratione, in causa Principis Fürstenbergii, data: scilicet causæ ejus particulari cum Sac. Cæs. Majestate Eam sese non immiscere neq; illa, quæ dicto Principi imputantur, crimina ullatenùs diluenda suscipere, sed eadem secundum Constitutiones Imperii, & conditiones personæ excutienda in medio relinquere; Quod igitur hactenùs pro Eliberatione Ejus tàm instanter sollicitaverit, atq; etiamnum sollicitet, priori declarationi non adversari: cum istud, non tàm respectu Principis Wilhelmi, quam Pacis per illius captivitatem retardatæ respectu factum sit, atq; etiamnum fiat, neq; hic Regia Majestas Sua Causam dicti Principis, ut talis, tueatur, seu benignitatem aliquam inconvenientem erga ipsum, quâ reum, demonstret, sed curam tantum agat, Tranquillitatis ac securitatis publicæ, cujus in dicti Principis Detentione maximus hoc tempore nodus & mora est, id quod adeo Sua Regia Majestas jure, nec succenseri nec prohiberi sibi posse, confidit, ut etiamnum Cæsaream Majestatem suam, quam instantissimè rogitet, velit tandem

Pacis

Pacis publicæ ſuæq; interventionis dignam hic rationem habere, neq; admittere, ut privatæ vindictæ, innumerabilium, quæ alioquin atrociſſimo, ac forte longiſſimo bello offeruntur, Victimarum ſalutem & incolumitatem poſthabuiſſe dici poſſit. Nullam hic honoris, nullam officii rationem obſtare poſſe, cum nihil ad honorem & gloriam efficaciùs, nihil magis ex officio boni Principis, nihil magis Cæſareum eſſe poſſit, quàm ſemetipſum vincere & rerum omnium optimæ Paci quàm plurimum tribuere: ut neq; amicorum aut Fœderatorum hic, ſi fortè aliò ducant conſilia attendenda eſſe, cùm fructus conſultorum ipſi deinde pro nobis non excipiant, ſed, quæcunq; Eorum fortuna fuerit, non ei, qui illa dederit, ſed qui acceperit, ſubeunda ſit.

Deniq; meritò Cæſareæ Majeſtati Suæ tanti ponderis non videri Pecuniam Gallicam prætenſam, ut Tractatus propterea ſit ſuſpendendus: neq; unquam rem magis pretioſam viliori pretio factiſſe, & proinde credere Regiam Majeſtatem ſuam, eandem præſertim non ablatam, ſed tantùm in tempus detentam, tanto facilius reſtitutum iri.

Atq; hæc ſunt, quæ, nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis Suæ, circa antedictos Articulos, ab Excellentiſſimis Dominis Commiſſariis, perofficioſè petit Dominus Legatus Extraordinarius, Suæ Cæſareæ Majeſtati maturè inſinuari, omnemq; adhiberi operam, quo, tàm ad hæc, quàm quæ antea Sacræ Cæſareæ Majeſtati diverſis vicibus atq; audientiis ore & ſcripto expoſita fuêre, Reſponſum ſine mora Cathegoricum expediatur: in quo non tantum cura Tranquillitatis Publicæ ſeria plenè eluceſcat, ſed & mutuæ ac Synceræ Correſpondentiæ, cum Sacra Regia Majeſtate conſervandæ, vincula ac nexus magis magisq; roborentur & adſtringantur.

COPIA Reſponſi Tertii Cæſarei ſuper Replicâ Tertiâ Svedicâ, 5. Januar. 1675.

PErcepit Sua Sacra Cæſ. Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, fuſiùs, quæ Excellentiſſimus Dn. Legatus Extraordinarius Sveciæ, Dn. Benedictus Comes de Oxenſtiern, (Tit.) ſu-

per ſecundum reſponſum Dominorum Commiſſariorum Cæſareorum repoſuit, atq; ejusdem Intimo Conſiliario, ac Aulæ Cancellario, Dn. Johanni Paulo Hocher, Libero-Baroni de Hohengran, 15. ad finem vergentis menſis Decembris, & anni, in ſcriptis tradidit: & his omnibus diligenter per penſis Eidem per memoratum Dn. Aulicum Cancellarium ſequentia ſignificat.

1. Fixam & immotam permanere Suam Majeſt. Cæſaream in deſiderio promovendæ pacis Univerſalis, honeſtæ & ſecuræ deſiderio, & cùm non niſi coacta & invita arma arripuerit, ea ſemper lubentiſſimo animo depoſituram, quoties orbi Chriſtiano vera tranquillitas indulgebitur: nulla ſe obſtacula tanto bono obtinendo poſuiſſe, nec poſituram, facilè prudentes & æquos rerum arbitros dijudicaturos, in quem culpa ſufflaminati, & retardati tanti negotii recidat.

2. Adeò nihil remittere S. Maj. Cæſar. de peculiari in perſonam Dn. Svedici Legati confidentia, ut cum is ſingulari prudentiâ & dexteritate pro bono orbis Univerſi Chriſtiani negotium tantum hucusq; indefeſſo ſtudio tractaverit, Merito altiſſimè memoratæ Majeſtatis erga hunc ſuum fiducia tantò firmius radicanda, quantò conſtantior erit labor, quem dictus Dn. Legatus, etiam imposterum impendet.

3. Grato animo agnoſcere ſedulam Dn. Legati in procurando ſalvo conductu pro Sereniſſimo Dn. Duce Lotharingiæ, Ejusq; Plenipotentiariis, litteris ad Dn. Legatum Extraordinarium Sveciæ in aula Regis Galliæ degentem datis, demùd impenſam operam; patêre exinde, quod hæc prætenſio ab Ipſamet Sereniſſimâ Coronâ Sveciæ, ſicuti antehac, ita & nunc pro æquiſſimâ habeatur: Conſidere Majeſtatem Cæſaream Voluntatem ſuam ab orbe Univerſo, vel ex hoc ſolùm in pacem proximè reducendam, enixam, atq; efficacem agnitum iri, quod licet ſufficientes ſuppeterent rationes & argumenta, omnes veteriores ad pacem progreſſus, aut omnino rejiciendi, aut ſaltem tam diu ſuſpendendi, usq; dum dictus Salvus Conductus extraditus fuerit, tamen declarationem fecerit mittendi legatos ſuos quam primum ac de loco congreſſus convenerit: Relinqui omnium ſapientum Judicio expendendum, an credi poſſit, eſſe Regi Gallorum propenſionem in pacem, qui

Juſtiſſimam Imperatoris, & ſuorum confœderatorum petitionem hucusq; fruſtratus, potius in funeſto bello pergere, qua... pro Lotharingiæ Duce, cujus tantum hoc tractatu includi intereſt, memoratos ſalvos conductus expedire voluit; æquiſſimum & in concedendis, quæ juſta ſunt, facillimum largitorem Imperatorem jam penè ante biennium ſponte ſua per expoſitionem in comitiis Ratisbonenſibus factam omnibus Intereſſe habentibus, & ſingulis Galliæ confœderatis obtuliſſe debitam ſecuritatem, Regis verò Galliarum animum hucusq; expugnari non potuiſſe, ut dicto Lotharingiæ Duci avitis provinciis pulſo, deturbato & ſpoliato hanc ſecuritatem conceſſerit: exindè tantùm temporis Coloniæ fruſtra conſumptum, exinde alii prætextus rumpendo tractatui quæſiti, exinde etiam reſtitutio aut redintegratio congreſsûs hucusq; ſummo orbis Chriſtiani diſpendio procraſtinata. Quis glaucomate liber non videat, id à Galliâ agi, ut vel nulla pax fiat, vel ſi fieret, ſtatim repullulet novi belli fomes & materia, non dubitare Sac. Cæſ. Majeſtatem, Sereniſſimum Regem Sveciæ, quid hinc colligi poſſit & debeat, ſatis acturum.

4. Confirmare altiſſimè memoratam Cæſ. Majeſtatem denuò acceptionem mediationis à Reg. Maj. Sveciæ oblatæ, nec non promiſſam quarantigiam, neq; dubitare, hanc & ab aliis confœderatis quantocyus acceptatum iri, ſimul ac à Svecia deſiderata declaratio ſuper conditione prætactæ Mediationi annexâ, ſecuta fuerit, quod nempè durante hoc bello nulli ex belligerantibus ſit adſtitura, nec ſe Mediationis officio, usq; dum communis pax fuerit ſtabilita, abdicatura, multo minus verò quid hoſtile contra Suam Majeſtatem Cæſaream, ejusq; confœderatos, aut Univerſum Romanum Imperium motura: Quæ declaratio cum eò juſtius deſideretur, quo magis rumores & fama non ex vanis argumentis, ſed ex ipſa Gallorum jactatione, & Dn. Svedici Legati de Ehrnſtein Hagæ Comitis facta propoſitione concepta, increbreſcit, quaſi Svecia Sereniſſimum Dn. Electorem Brandeburgicum, licet hic pro tutela ſuarum provinciarum, & Cæſarem & Ejus confœderatos arcto mutuæ defenſionis fœdere obligatos habeat, armis adoriri paret; Indè eò magis hanc declarationem à ſuâ Cæſ. Majeſtate deſiderari, ne & illa, & Ejus confœderato Electori, ſi invaderetur, vi dicti fœderis aſſiſte-

re, & omnem violentiam depellere, adigatur: dictis Rumoribus non quidem Suam Majestatem Cæsaream omnem fidem adhibere, credere tamen, si Svecia hocce pacis negotium revera & cum efficaciâ promotum desideret, quemadmodum sua Majestas Cæsarea non dubitat, declarationem superius dictam, tam generaliter, quàm etiam Respectu laudati Dn. Electoris Brandenburgici quantocyus secuturam, maximum, utpotè pacis proximè reconciliandæ fundamentum.

5. Ratione Conmediatorum placere Sveciæ Responsum, quod & alios in partem curarum admittere non detrectet, inhærere itidem suam Majest. Cæsaream priori declarationi, sibiq; persuadere, modos non defuturos, quibus plures mediatores, diversæ licet Religionis, pro communi bono intervenire, mediationisq; munus cum fructu obire possint, prouti Exempla præterita, Tractatusq; desuper instituendi pluribus edocebunt: Interim non abnuere Suam Maj. Cæs. ut pacis Tractatus, licet negotio, ratione commediatorũ necdum composito, nihilominus omni studio promoveatur.

6. Suam Maj. Cæsar. se in nominatione Locorum pro Tractatuum loco, tam liberalem, promptam, & facilem exhibuisse, ut nulli desuper justè conquerendi ansa sit, & sperare omnes Ejusdem confœderatos quoq; secum super unum determinatum locum in continenti conventuros, modò prius de supra nominatâ declaratione Sveciæ (durante hoc bello in terminis mediationis permanendi) certi & securi reddii fuerint, immò Suam Maj. Cæsaream tantâ in Sveciam ferri fiduciâ, ut secutâ prius modo-dictâ declaratione, ex parte suâ unum locum ex illis, quæ sua Majestas Cæsarea in primo responso Dn. Legato Svedico dato, denominavit, designandi in eam conferat arbitrum, modo is sit ex denominatis, in Imperio situs, & ab armorum strepitu remotus.

7. Nominaturam suam Majest. Cæs. proximè Legatos suos, pacis & tranquillitatis publicæ Studiosissimos, illisq; etiam talia mandata daturam, ut exindè singularis Ejusdem in pacem promptitudo clarè eluceſcat.

8. Placere Suæ Maj. Cæsareæ, quod Dn. Legatus pertractationi armistitii propositi, in locum Tractatûs rejectæ acquiescat, suam Majestatem Cæsaream interea cum Confœderatis super illius condi-

conditionibus maturè deliberaturam, habitâq; illorum mente se talem omninò præbituram, ut toti orbi appareat, quam ab innatâ suâ benignitate aliena sit omnis ulterior Christiani sanguinis profusio.

9. Ratione Principis Wilhelmi de Fürstenberg palàm esse, quanta sua Majesta; Cæsarea in pacem proximè restabiliendam hactenùs contulerit, neq; etiam hac in re quid ultra à se desiderari permitteret, si exinde major spes pacis affulgeret, sed tantùm abesse, ut per ejus liberationem vel custodiæ laxationem almæ pacis negotium sit promovendum, ut eam potiùs denuò ex orbe Christiano proscribendam omnis æquus rerum arbiter sibi certò sit persuasurus: neq; enim tàm facilè malignum naturæ habitum immutari, neq; ab eo pacem, qui tranquillitatis odio Germaniam ardere fecit, prudenter sperari posse.

Satis à Majestate Cæsarea actum, quod Ea suo tempore, quatenùs opus fuerit, Dn. Mediatoribus evidentem hujus capturæ justitiam simul & clementiam dicto Principi, licet immerito hucusq; exhibitam, sit demonstratura, & tàm plenè informatura, ut nihil ultra Dn. Mediatores hujus rei causa desideraturos planè speret & confidat: Inhærere quapropter Suam Maj. Cæsar. priori resolutioni, atq; à Regiâ Majestate Sveciæ perquàm amicè requirere, ut momenta tantarum rationum & æquitatem datæ declarationis cordi ducere velit; delicta Ipsius tùm ex propriâ confessione, tùm ex facti notorietate tam esse clara, ut Processus desuper omni tempore non solùm institui, sed & intra paucos dies absolvi possit; miraturum orbem, quod Sua Majestas Cæsarea nihil justissimo dolori suo, nihil Vindictæ privatæ indulserit contra illum, qui Regnis & Provinciis Austriam exuere non unâ in Aulâ laboravit.

Deniq; persuadere sibi suam Maj. Cæs. Regem Galliarum nullâ ratione futurum hujus mentis, ut qui præsens bellum tam caro profusoq; emit auro, non etiam pacis amore id acturus sit, ne propter tam exiguam pecuniam pacis negotium ultra sufflaminetur.

Atq; hæc sunt, quæ sua Majestas Cæsarea Dn. Legato exponenda, Dn. Aulæ Cancellario cnncredidit, se adhuc magis, si quid amplius desiderari poterit, explicatura, si Rex Galliarum etiam ipse suis incumbentiis satisfecerit, & insuper Serenissimus Rex Sveciæ declarationem expetitam dederit.

COPIE de la Juſtification du Baron de Liſola de la viſite donnée au Prince Guilliaume de Fürſtenberg a Cologne. Vienne 5. Decemb. 1674.

Monſeigneur

AYant appris que Son Ex. M. l' Ambaſſadeur de Suede dans la derniere reſponse qu' il à donné aux Miniſtres de Sa M. Imp. à alleguè que j' auois reconnu & traitté le Prince Guillaume en qualité d' Ambas. de ſon A. E. de Cologne, j' ay crû de mon devoir, ne pouuant informer V. Ex. de vive voix, de ſuppelier par ces lignes, & luy deduire toutes les particularitez du fait.

Quand j' arrivay à Cologne, M. le Prince Guillaume me vint vitiber des denier, & aprez tous les autres, il ne me fit aucune mention de ſon ambaſade, ny de ſon plein pouuoir, quoy qu' il fuſt obligé par une raiſon plus forte de legitimer ſa Commiſsion deuant moy, comme il auoit fait deuant les autres, pourquoy il ne devoit pas auoir tant de Circonſpection, comme envers les Miniſtres de l' Emp. Son Maiſtre, mais il sopposoit alors, que l' Emp. ne feoit aucune figure dans les Traittez, & qu' il n' eſtoit pas neceſsaire de luy rendre ce reſpect, il pouuoit au moins procurer, que Meſs. les Ambaſsadeurs de Suedes m' en faſsent la moindre Intimation, car les Preliminaires ne ſe pouvoient pas ajuſter ſans nous, & tout ce qu' auoit eſté fait devant ma venüe, devoit eſtre tenu pour nul, de ſorte que je n' ay jamais eu ſujet de l' admettre pour Amb. publicque j' ay tousjours eu lieu d' entrependre cauſe d' ignorance, c' eſtoit à luy à prendre ſes ſeuretez envers l' Emp. Son Maiſtre, & non à moy à le rechercher.

Tant s' en faut, que je l' aye reconnu, qu' au contraire j' ay fait des actes positifs, qui deſtruiſent entierement cette reconnoiſsance.

Der-

Dernierement je n' ay jamais voulau mettre le pied dans l' aſsemblée du Congrez à cauſe, que le dit Prince yaſsiſtoit continuellement.

Secondement lorsque Meſs. du Chapitre de Cologne m' offrirent leur Mediation pour moyenner la paix entre Sa. M. Imp. & Son A. E. de Cologne, je leurs declaray, que je l' acceptois, mais avec cette condition, que le dit Prince Guillaume n' entreroit point dans le Chapitre, quand on traitteroit de cette Negociation, & qu' il n' en auroit aucune part de prez ny de loin, ce qui eſtoit ſapper par le fondement toute ſon ambaſsade pretendue, qui ne pouvoit avoir d' autre matiere, que, celle de la paix de cet Electeur.

Troisiemement je ne luy rendis point la premiere Viſite, ce que je n' aurois pas manqué de faire, ſi je l' auvois reconnu pour Amb. & comme il m' en fit encor une ſeconde, je demeuray pareillement dans le meſme ſilence, jusques par un artifice de ſa boutique, il m' envoya un de ſes Confidents pour me dire, qu' il eſtoit fort malade, qu' il eſtoit tout à fait changé, & qu' il auoit de grandes, & importantes choſes à me dire pour le ſeruice de l' Emp. & dont j' aurois une ſatisfation toute particuliere: cet homme m' en dit tant, qu' il me perſuada d' y aller, jugeant, que cela ne traisnoit point de conſequence, de viſite, an malade, que m' en requeroit, & qui offroit de retourner à reſipiſcence, mais je connûs bien toſt, que ce n' eſtoit qu' artifice pour m' attirer chez luy, & ne pas recevoir l' affront de n' eſtre pas correſpondu dans ſes viſites, car au fond il ne me dit rien, qui meritaſt d' eſtre eſcouté. Voyla Monſeigneur la pure verité des choſes, dont V. Ex. pourra uſer ſelon ſa prudence, cependant je demeure

Monſeigneur D. V. Ex^ce

Tres humble, & tres obeiſſant ſeruiteur

De Liſola,